



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

VI. De rerum emptione in die dominica. Li. Sax. cap. 24. Iorn. cap. 32.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

admodum de accusato antea a nobis dictum est, iure iurando interposito criminationem persequitor, vterque etiam iussu Dei ac sacerdotis iejunato, nec pluribus quam duodecim alteruter stipatus aduenito: quin si accusatus pluribus eo comitatus acceperit, perinde sit (ni illi discedant) atque is in iudicio cecidisset.

V I.

Si quis testato rem aliquam mercatus fuerit, quam alias deinceps quisquam suam esse contenderit, eam vendor præstet, atque in se recipiat, siue is seruus, siue ingenuus fuerit.

Die autem dominico nemo mercaturam facito: id quod si quis egerit, & ipsa merce & triginta præterea solidis mulctator.

V II.

Si quis falsum iurasse conuictus fuerit, ei postea non modo non creditor, verum sacra is etiam prohibetur sepultura, nisi quidem illius in qua is degit diœcesis episcopus, data ei in mandatis omnia modeste confecisse illum significarit. Episcopum autem loci illius sacerdos, num alter animo libenti corrigi se se atque emendari patietur, intra triginta dies certiorem facito: id quod ni fecerit, episcopum penes poenæ arbitrium esto.

V III.

Porro autem si præpositorum quisquam mandata hæc nostra exequi noluerit, aut in administratione sua fuerit remissior, suæ in regem contumacia poenas luto, atque rex feueriorem alium in hoc munere substituet. Mulctæ autem capienda munus eius loci in quo degit præpositus episcopo imponimus. Si quis denique iussa ac scita hæc nostra contempserit, pendito primo libras quinque, secundo proprii capitis æstimationem dato, tertio, si deliquerit, fortunis suis omnibus mulctatus nostri omnium amicitia priuator.

I X.

Decreta actaque sunt hæc omnia in celebri Grateleano Conilio, cui Vulfhelmus interfuit archiepiscopus, & cum eo optimates ac sapientes ab Athelstano euocati frequentissimi.